



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Templa Deiparæ in urbe, num. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

Infantem in Præsepio adorabant. Porro Jason, & Argonautæ seu unum, seu duo Mânæ Verbi divini Genitrici templa dedicaverunt mille ducentis ante Christum annis; quæ fusc examinata & explicata sunt cap. 29.

Templa eadem in terris degenti extructa.

Jam Deiparæ ea ipsa in terris commorante Apostolorum tempore, templa etiam dicata sunt, nam ædes Laurentana jam tum dici potuit templum, cum Dei Genitricis orto, ac divini Verbi conceptu, Deiparæ usui consecrata est. Præterea Cranganore in Orientali India ab uno è tribus Magis; Calecurii item ab ejus conditore Deiparæ templa extructa, dicataque sunt. Cæsar augustus à S. Jacobo Apostolo templum, cui nomen est à Pylla, seu Columna, in qua Virgo ipsa se videndam Apostolo præbuit In Urbe Anteradeni in Syria sacellum à S. Petro Apostolo eidem conditum, magna non Christianis solum, sed etiam Saracenis venerationi fuit. In monte Carmelo, statim atque innotuit B. Virginis in cælum Assumptio, in ejus honorem à Christianis illius montis incolis excitatum templum est. Massilia Basilicam S. Martha Christo Jesu, ac matri erexit, In Æthiopia à Candace illa, cujus Eunuchum Philippus Act. 8. sacro fonte lustravit, templum Deiparæ extructum est regni præ excellentiæ, & miraculis olim nobile. Tungis Eburonum ædem B. Virgini consecravit S. Materius Episcopus S. Petri Apostoli discipulus à mortuis rediivus. Hæc cursim indicamus, ut Lector uberius tractata, probataque videat cap. 29. Quæ vero universè dicenda essent de infinitate prope templorum Deiparæ dicatarum, eodem illo capite compendio attigimus.

Templa Deiparæ præcipua.

Reliquum nunc est, ut singillatim, ac seorsim de templis B. Virgini erectis agamus: non de omnibus, ne de præcipuis quidem omnibus sed de nonnullis, ad quæ me vel structuræ magnificentia, vel fama miraculorum, vel adeuntium celebritas, vel privata quædam pietas allicit. Initium igitur faciemus à capite, & forte religionis urbe Roma; post ingrediemur Neapolim, tum plerasq; Italia urbes, & adjacentes insulas deinde Hispaniam, & quod super est Occidentis. Ad extremum Regiones eas percurramus, quæ pertinent ad Orientem solem.

Cur aliæ quæ B. V. templa super idolorum

Illud vero lectorem monitum velim, interdum Deiparæ templa super idolorum fanis à Christianis extructa, quod non absque Dei nutu factum arbitramur, ut perspicuum fiat omnibus quemadmodum, c. 29. monuimus, Dei-

param de Ethnicismo, & de Idololatria triumphasse, quippe quæ in eorum delubris, veluti in hostium arcibus expugnatis sui filii, suaque vexilla erexit.

Sed jam ad templa ipsa nominatim recensenda accedamus, initio factò ab urbe omnium principe, & Christianæ religionis sede primaria,

TEMPLA DEIPARÆ in Urbe.

S. MARIA MAIOR.

Inter alia in Urbe Deiparæ templa eminet illud S. Mariæ Majoris in Exquilis anno salutis 367. à Joanne Patrio Romano, ejusque conjuge ædificatum; qui quod liberis carent Deiparæ suam hereditatem voverunt, à qua Nonis Augusti, cum maximi in Urbe calores esse solent, in iornis sunt admoniti, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ suo nomini dedicaretur. Id quod Joannes ad Liberium tum Pontificem detulit, cui id ipsum Beata Mater per quietem eadem nocte edixerat, quare Liberius solemniter sacerdotum & populi supplicatione instituta, ad collem Esquilinum nive conspersum venit, locum Ecclesiæ designat quæ Joannis & uxoris pecunia est extructa. Eadem postea à Xisto III. anno 432. est restituta, sacrisque historiis musivo opere contextis, quæ adhuc extant, distincta. Id quod Adrianus I. Epistola ad Carolum Magnum pro cultu sanctarum imaginum refert his verbis: *Beatus Xistus Papa Basilicam sanctæ Dei Genitricis cognomento Majoris, quæ ad præsepe dicitur, tam in metallis aureis, quam in diversis historiis, sacrisque decoravit imaginibus, ut ille. Est autem id templum multis decorum Religionis nostræ insignibus; nam & Præsepe Christi Domini, unde etiam Basilica nomen traxit, in ara exigui cujusdam sacelli ad levam templi reconditum erat, quod sacellum thesauri illius custodem, integrum cum præsepe anno Domini 1586, in aliud sacellum multo augustius, ornatusque transtulit Sixtus V.*

In hoc etiam templo magno totius Urbis concursu, & religione coitit imago beatae Virginis puerum Jesum in ulnis foventis à S. Luca depicta miraculis inclita, atque illo im-

fanis extructa.

S. Maria Majoris templum à Joanne Patricio conjuge ædificatum. Tempus Mariæ Majoris solum conspersum nive divinitus designatum.

Præsepe Christi Domini in templo S. Mariæ Majoris.

Idem B. V. templum aliis rationibus cele-